

HVG FAVOLIA MEDICVS SELANDIAE.



H Vgo apud Belgas natus est anno circiter 1529. Is ob egregiam indolē literis operam dedit, & statim felicis ingenij spem omnibus præbuit. In primis autem Poëtarum lectioni incubuit, & in ijs plurimū profecit. Postea sese ad Vniuersitates con tulit, & Medico studio uacare cœpit. In eascientia Hugo ea dexteritate est uersatus, ut statim doctissi mis Medicis connumeraretur. Postea in patriā rediit, & Mittelburgij in Seelandia Medicam artem magna laude exercere cœpit. In eo loco etiamnum supereft, & ab omnibus doctis suspicitur. quod si etiam longior uita à Deo ei concessa fuerit, procul dubio posteritas eius scripta cum admiratione leget & cognoscet. Anon.